

## C O N C L U S I O,

*Super hunc Primum Librum.*

**P**rimus hic Liber, faltem eâ de causâ conſcriptus eſt, ut cognitio & fundamentum quoddam ſit eorum, quæ Philoſophi ſtatuunt & ad huc ſtatuunt, de Corporum Mundanorum diſpoſitione, motu, diſtantiâ, quantitate: Item de Materiâ (*ſic dictâ*) Cœleſti ſeu Spatio iſto ingenti intermedio inter hæc Corpora, longè lateque diſfuſo: ecquid tandem extra Mundum

ſit? De quibus omnibus breviter tam Antiquorum quàm Recentiorum Hypotheſes atque ſententias recenſuimus, eaſque ſolas quæ intelligibiles, rationique quodammodo convenientes; Multa enim de his inveniuntur, quæ verbosæ potius vanitatis, quàm rectæ rationis vel veritatis intentione, ſcripta ſunt. Quæ deinde noſtra ſit ſententia, ex ſequentibus Libris apparebit.

## LIBER SECUNDUS,

DE

## V A C U O S P A T I O.

CAPUT I.

*Quâ causâ Author adductus ſit ad inquirendum VACUUM.*

Mnipotentis Dei veſtigia in Naturâ, maximè verò in ingenti iſtâ Mundi Machina deprehendi nemo negabit. Cum primis autem ex antecedenti libro, cap. 20. & ſeqq. apparet:

1. Incomprehenſibilis illa Diſtantiâ Corporum Cœleſtium, Solis nimirum & Lunæ ac reliquorum Planetarum; Conſtatque eorum quosdam eſſe ingentis magnitudinis, ut non tantum noſtrum Terrenum globum, magnitudine excedant, verùm etiam multis vicibus, ut decies, centies & ultra ſuperent. Quis enim omnium Mortalium, quantitatem hujus Telluris, quæ in diametro 1720, in ſemidiametro 860, & in circumferentia 5400 milliaria germanica continet, ſibi imaginari aut mente complecti poteſt? Cum tamen ad extremi Planetæ Saturni Sphæram comparata, non iſtar piſi æſtimanda ſit. Unde proportio horum corporum inter ſefe eorumve Sphærarum, numeris quidem

deſcribi, nullâ tamen arte mechanicâ in charta exhiberi vel depingi poteſt.

2. Ut autem Terrenus hic globus cum Saturni Sphæra: ſic Saturni Sphæra, cum proximioris etiam ſtellæ Fixæ Sphæram conferenda. Certum enim eſt, Fixas non ſolum diverſimodè à Terra, partimque ita remotè diſtare, ut ſenſum & intentam mentis aciem planè obtundant: Verùm etiam omnium proximioris Stellam (quæ fortasſe Canis major, aut Lyræ Lucida) nullam omnino reſpectu ſemidiametri Terræ admittere parallaxin; ſi enim admitteret aliquam, *ex. gr.* duorum ſecundorum, eſſet ejus diſtantiâ à centro Terræ 103448 ſemidiametrorum Terræ: ſi verò haberet parallaxin unius tantum ſecundi, eſſet ejus diſtantiâ 268965 ſemidiametrorum Terræ (*uti teſtatur Scipio Claramons in lib. de Universo, & ipſæ inſalubiles Tabulæ Sinuum, Tang. & Sec. demonſtrant*) quæ conficiunt milliaria germanica 231309900. Cum autem nulla poſſit ſentiri, ne proximioris quidem Stellæ parallaxis ad Telluris

*Saturni Sphæra, ad peripheriam, quam faceret proxima aliqua Stella Fixa, nullam comparationem habet.*

*Terra cum Saturni Sphæra comparata, nihil æſtimanda.*